



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IX. An, & qualiter fidem faciant, seu probent literæ Episcopi, vel alterius Ordinarij Judicis, & quomodo reprobari possit per Testes Instrumentum, tanquam falsum nomine Collegij seu Universitatis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

habita, aut in loco publico asserta, & repetere fuerint) tribuitur tamen his aliqua veneratio, & auctoritas probandi, & quidem fidem plenam faciunt in causis nulli præjudicantibus, aut ex qui præiudicii, ut quod Ecclesia sit consecrata, infans hic sit baptizatus &c. cum in talibus casibus nemo præsummi possit, quod fallere velit, & quod in talibus antiquis factis leuioribus probationes sufficiant. Quamvis autem libri antiqui habeantur, quamvis aliqui velint, hominum memoriam debere eos excedere, alii 40. annos requirant, rectius tamen hoc prudenti Iudicis arbitrio relinquatur.

§. IX.

An, & qualiter fidem faciant, seu probent littere Episcopi, vel alterius Ordinarii Iudicis, & quomodo reprobari possint per Testes Instrumentum, tanquam falsum nomine Collegii seu Universitatis confectum?

AD primam questionem 2. Litteras tales fidem facere ad probandum aliquem excommunicatum, si non magnum exinde præiudicium alteri inferatur, & subscriptione illius aut sigillo munitæ sint, donec oppositum probeatur. c. Post cessionem 7. h. t. ob auctoritatem scilicet, & specialem ipsi debitam reverentiam.

Ad secundam questionem 2. quod singulæ personæ alicujus Collegii vel conventus possint sub juramento reprobare Instrumentum falso sigillo obsignatum, & confectum nomine Collegii seu Universitatis. c. Tertio Loco s. h. t. Sunt enim in tali casu singuli in favorem suæ Eccle-

siæ contestes, quod fieri potest, cum causa Collegii non sit principaliter causa singulorum, sed causa Universitatis.

§. X.

Quam vim probandi habeat narratio facti alicujus in Literis sedis Apostolica?

PLenè probare talem narrationem, si super illâ, gratis, aut intentio Papæ fundetur, & versentur in causis beneficiabilibus, aut spiritualibus graviter alteri non præjudicantibus ex Clement. Literis. Vnica h. t. patet. Quamvis enim regulariter narrationi tali alicujus inferioris non credatur, ob specialem tamen prærogativam Papæ & ob festigium tantæ dignitatis tali narrationi à Papa suis literis insertæ creditur, si tamen factum proprium narretur; si enim factum alienum narretur, super quo se fundet gratia, & intentio Papæ, plenam quidem fidem facit narratio talis, ita tamen, ut contra eam admittatur probatio. Si verò intentio Papæ super his, quæ in literis illis narrentur, non fundetur, tum nihil probant, ut patet ex c. si Papa. 10. De privileg. in 6.

§. XI.

De probationibus, & aliis actis Iudicii in scriptum redigendis; & de actis prioris Iudicii exhibendis aliis Iudicibus, ad quos causa pervenit.

Universa Iudicii acta ex mandato Iudicis conscribenda esse, ex c. Quoniam contra 11. h. t. patet, à Notario sci-

Q92

sci-